



SYMBOLORVM  
&  
EMBLEMATVM EX  
ANIMALIBVS QVA  
DRVPEDIBVS  
DESVMTORVM  
CENTVRIA ALTERA  
COLLECTA.

A  
IOACHIMO CAMERARIO  
MEDICO NORIMBERG.

*Exponuntur in hoc libro rariores  
tum animalium proprietes tum  
historiae ac sententiae memorabiles.*

AN° SALVT: CD·ID·XV.

IIII.

# NON REVERTAR IN VULTVS.



*Vincere, vel pulchra laus est occumbere morti,  
Sed tremulo à pugna turpe redire gradu.*

RHINO-



**R**HINOCEROS à cornu quod in naso unicum  
habet, quasi naricornis dici potest. Martialis  
de gemino cornu licentia poëtica loquitur, cum  
alterum in dorso potius tuberosum quippiam,  
nō proprie cornu sit. Taurum Ethiopicū Pausanias lib. v.  
& libr. ix. vocat, nec apparet Aristotelem huius animalis  
fecisse in suis scriptis mentionem. Huius accuratam desi-  
gnationem curavimus exprimi ab icone in as eleganter in-  
cisa, ex Hispania nuper allata. Tradit autē Suetonius Au-  
gustum Imperatorem primum Populo Romano Rhinocero-  
tem spectandum exhibuisse, quamvis Plinius hoc Pompeio  
Magno ascribat. Alterum hunc habet hostem Elephas, cum  
cornu ad saxa limato sese ad pugnam præparet. & in dimi-  
catione cum Elephantum alvum adversarii ut molliorem pe-  
tat. Eamque pugnam describit quoque Oppianus lib. ii. de Ve-  
natione, ac exemplum commemorat Münsterus lib. v. Cos-  
mographia, ubi Elephas à Rhinocerote victus succubuerit.  
Quod si ventrem hostis sui non præoccupaverit Rhinoceros  
(ut Alianus refert) proboscide Elephantum feritur, ac den-  
tibus tandem dilaniatur. Hoc Symbolo usus est Alexander,  
Dux Florentinus, gener Caroli V. Imper. Roman. eo innuens,  
pro conquirenda nominis gloria, atque insuper ad Impera-  
toris sui existimationem propugnandam, magno animo  
se nullum periculum subterfugere, atque eam ob caus-  
sam vel præclaram victoriam reportaturum, vel ipsam  
etiam mortem subiturum esse. Ascriptum fuit di-  
ctum Hispanicum, NON BVELVO SIN VINCER, id  
est, non discedam sine victoria, alludens ad versiculum  
Martialis:

Rhinoceros nunquam victus ab hoste redit.

V.

VIM SVSCI  
TAT IRA.



*Non temere cœcam vir fortis fertur ad iram,  
Iusta sed indigne læsus in arma ruit.*

B

RHINO-

**R**HINOCEROTEM nisi admodum irritatum  
ad iram provocari, & commotum illam agre  
deponere, Pierius in Hieroglyphicis annotat,  
unde excandescentiam vehementem, post len-  
titudinem irascendi, per hoc animal veteres ex Oro indi-  
casse refert. Quod etiam ex Martiale colligitur, qui hoc  
de eo epigramma composuit.

Sollicitant pavidum Rhinocerotum magistri,  
Seque diu magnæ colligit ira feræ.  
Desperabantur promissi prælia Martis,  
Sed tamen is rediit cognitus ante furor.  
Namque gravem gemino cornu sic extulit ursorum,  
Iactat ut impositas taurus in astra pilas.

Sic quoque viri fortes, nisi valde irritati, & aliqua  
insigni injuria stimulat, non cito deponunt animi sui mo-  
derationem, sed ad justam indignationem nimium pro-  
vocati, tandem sese acrius incitant, & egregie viros ex-  
hibent. Quemadmodum autem eiusmodi heroicus impe-  
tus in magnis viris merito locum suum habet, ac laudem  
quoque meretur, sic absque discrimine non ubique imi-  
tandi sunt, sed potius aurea sententia ante oculos haben-  
da, QVO MAIOR, EO PLACABILIOR. Quod dictum  
CL. Vir & J. C. D. Nicolaus Reusnerus in Symbolis Impe-  
ratoriis, prolixè explicat. Et Euripides præclare monet,  
ἀσχεῖν σώφρονα ἐνεργεσίαν, εἶναι πρὸς σόφῃ ἀνδρὸς, id est, sa-  
pientis esse operam dare ut moderate indulgeat ira. Ver-  
sus autem integri, unde hæc desumpta sunt, leguntur apud  
Virgilium de Entello, lib. v. Æneid.

At non tardatus casu, nec territus heros  
Acrior ad pugnam redit, & vim suscitatur ira.

NIHIL